



*Methodus pro cognitione*

PLEVRITIDIS INSER-  
VIENS.

**P**LEVRITIS est inflammatio membranæ intrinsecus costas succingentis, quæ pleura dicitur, unde etiam morbus hic nomen sumpsit, à parte videlicet affecta cui insidet. Hinc patet non quemcumque lateris dolorem, pleuritidem dici; quamuis enim plures laterum dolores sint, hinc tamen de eo agimus laterum dolore qui morbum acutum consequitur propter inflammationem membranæ intrinsecus succingentis costas. Si enim in exterioribus musculis inflammatio consistat, aut si à flatibus dolor ibidem magnus fiat, iam notha erit pleuritis, tunc febre carent, dolorem interim percipiunt in pectoris regione, qui tactu etiam irritatur ex parte, non ita tamen stabilis est, remittiturque aliquando ex applicatione eorum quæ flatus discutere possunt.

**PARS AFFECTA**, est membrana costas succingens intrinsecus: huius signa sunt præter respirationem impeditam, tussimque concurrentem, dolor punctorius, qui membranas esse affectas significat, & eiusdem doloris positus.

**SIGNA.** Dolor fit punctorius multum molestus & quidem plus ob dilatationis magnitudinem quam motionis velocitatem; magnitudo equidem dilatationis tum comprimendo, tum distendendo, tum violenter mouendo pectus dolorem auget. Dolor autem hic aliquando ad hypochondrium, subinde ad claviculam extenditur. Spiratio est frequens propter urgentem necessitatem, atque parua propter dolorem, qui prohibet instrumenta respirationis plurimum attolli; id quod tamen  
ne-